2

SCIENTIA PHYSICA ACTVALIS

AD AMVSSIM ARISTOTELIS DEMONSTRATIVAM EXACTA.

ET

IN CATHOLICA AC ELECTORALI VNIVERSITATE INGOLSTADIENSI

PRÆSIDE

NICOLAO WYSING

SOCIETATIS IESV PHILOSOPHIÆ PROFESSORE ORDINARIO

DISPVTATA

AB GERMANIS FRATRIBVS

HENRICO ET MAXIMILIANO LANGDORFFERIS LL: ET PHILOSOPHIÆ STVDIOSIS.

AD DIEM IANVARII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cIↄ. Iↄc. XXXI.

INGOLSTADII, Typis GREGORII HÆNLINI.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO DOMINO, DOMINO

PARIDI

SALISBVRGENSI ARCHIEPISCOPO, METROPOLITANO EPISCOPORVM ANTISTITI

APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO NATO, S. R. I. PRINCIPI &c.

PRINCIPI SVO AC DOMINO CLEMENTISSIMO.

V*Agas atq; incircumſcriptas Philoſophorum* Theſes, *ad certas nominatasq;* Hypotheſes *reuocauimus, Reuerendiſsime atq; Illuſtriſsime Princeps. ſed niſi auſpicium tanti* Nominis *præfixiſſemus, verendum erat nobis Clientibus tuis, ne ſtatim in principio contra aſſertiones noſtras feciſſe videremur: Nam cum ex* Theſi *certiſsima totus Mundus Archiepiſcopos Reuerendiſsimos, Principes Illuſtriſsimos vocet, & ſupplicibus titulis veneretur; erraſſemus profectò, ſi non ex æquè nota* Hypotheſi *omne obſequiorum genus expediuiſſemus Reuerendiſsimo Archiepiſcopo, ſed Salisburgenſi: Illuſtriſsimo Principi, ſed Salisburgenſi: deniq;* PARIDI. *Ignoſcat Celſitudo Veſtra liberè fatĕtibus ſeruulis, quod res eſt: abſoluiſſe putamus nos dicĕdo vniuerſa Honoris ornamĕta, cũ publicam Orbis* Theſin *ad talem* Hypotheſin *reſtrinximus. An non enim quæ in alÿs magna ſunt, ſi dicantur in Veſtra quoq; Celſitudine faſtigiari, eò ipſo & maiora iam & altiora ſunt? Vel ſolum* Nomen *audienti, cui non ſtatim occurrit ille præclariſsimarum virtutum comitatus, qui* Nomen *ambit? quem non allicit Clementia? coërcet Iuſtitia? inuitat Pietas? percellit Authoritas? ſingularis Prudentiæ Sapientiæq; vis commonet? atq; Animus ille habitator ac moderator Sui Maximarumq; Rerum in admirationem deducit? Viue Maxime Princeps, & recognoſce verè nos philoſophatos eſſe. vltra nihil addimus, niſi felicibus & plurimis annis, quos adprecamur, Parentis quoq; noſtri humillima ſeruitia, atq; omnium ſubditorum vota. Ingolſtadÿ Idib. Ian: Anno Chriſti* CIƆ.IƆC.XXXI.

Reu.mæ & Ill.mæ Celſitudinis Veſtræ

Subiectiſsimi

Henricus & Maximilianus Langdorffer Germani Fratres.

Digitized by Google

PROOEMIVM ET INSTITVTVM.

OStenſuri, Phyſicam actualem, ſeu ſcientiam de Corpore naturali, *eſſe cognitionem certam & euidentem, atq; adeò ad Ariſtotelicæ ſcientiæ amuſſim perfectiſſimè exactam; non opportunius fecerimus, quam ſi ipſam Ariſtotelis* normam *quaſi* complicatilem *illam, hoc eſt pluribus conditionibus ceu partibus conſtantem* explicuerimus, *& materiæ phyſicæ applicitam omnino adæquari, tanquam propriam eius menſuram, oſtenderimus.*

Eam menſuram Ariſtoteles protulit, & conuenienti modo protendit, quando in 1. *poſt. c.* 2. *ſcientiæ fontes aperturus dixit, neceſſarium eſſe vt præmiſſæ Syllogiſmi ſcientialis ſeu Demonſtrationis potiſſimæ, ſint* ex veris, & primis, & im̄ediatis, & notioribus, & prioribus, & cauſis concluſionis, ſic enim erunt & principia propria eius quod demonſtratur. *Nempe ex eo quod deprehenderimus talibus* principijs *niti cognitionem phyſicam, nullo iam negotio de eiuſdē* concluſionibus *pronunciauerimus, vt enim malus* coruus *eſt à malo* ouo, *ita etiam è contrario à tam generoſis parentibus non degener prodibit partus.*

Non eſt autem nobis animus hoc loco vel omnē demonſtrationis ſcientiæue rationem, vel etiā vniuerſam phyſicā materiam exhaurire, ſed id ſolummodo præſtare inſtituimus, vt ſaltē quædam tum de prolegomenis *phyſicis, tum de primo maxime & ſecundo phyſicorum libro ad noſtrum intentum adducamus,* propoſitis *nimirum principijs* affectionibus, *quas Ariſtoteles præmiſſis demonſtrationis potiſſimæ genuinas eſſe voluit, &* tranſumptis *in rem* exemplis *è phyſica diſciplina. Itaq; quod cum Quintiliano Rhetores docent, in re oratoria reuocare Hypotheſin,* ſitne Ariſtotelis Philoſophia perdiſcenda, *ad Theſin,* ſitne Philoſophia perdiſcenda, *ſiue quod eodem reuenit* Definitam ſeu ſingularem & arctiorem quæſtionem reducere ad Indefinitā, ſeu vniuerſaliorē & ampliorem, *id nos pro noſtro commodo è conuerſo agemus, & per certos paragraphos* Theſin ad Hypotheſin *reuocabimus, propoſitis nimirū conditionibus præmiſſarum ceu* vniuerſalioribus, *& ſubadiunctis de phyſica materia quibuſdam propoſitionibus, ceu* particularioribus *atq; ad priorem legem formatis.*

Ad rei claritatem ita procedimus, vt diſputationem partiamur in paragraphos, qui proximè Theſes, tum Hypotheſes contineant, *atq; iſtas quidem* vbi opus eſt *triplici notâ diſtinctas, vna eſt numerus* Romanus *qui Hypotheſes Theſibus ſuis ex æquo aduerſarias deſignat: altera numerus eſt* Arabicus, *qui Hypotheſium ordinem docet: demum ſunt* litteræ elementariæ, *quibus Hypotheſes in ſua membra tribuuntur, ad aliqua etiam* quæ cognata ſunt Hypotheſibus *decidenda.*

Digitized by Google

§. PRIMVS.

Theſis

An præmiſſæ ſcientificæ ſint veræ?

I. HOc primo requiritur: ſed non intelligitur quæcunque *Veritas*, cum etiam concluſio probabilis ex quomodocunque *Veris* procedat, ſed intelligitur *Veritas neceſsitatis*, quæ immutabilem connexionem prædicati cum ſubiecto exigit, quamque Ariſtoteles 1. poſt c. 4. in tres gradus tribuit, quorum primus ſecundo, hic tertio imperfectior & minor eſt, ſemper tamẽ priorem poſterior ſupponit. primum vocat *de omni*, quando nimirum ita prædicatum conuenit ſubiecto vniuerſaliori, vt omnibus ſubiectis particularibus directè & affirmatiuè conueniat, & *omni etiam tempore*, quæ poſterior conditio, hoc *de omni, poſterioriſticum*, diſcriminat ab alio *de omni*, quod vocant *prioriſticum*, cui ſufficit vniuerſalitas ſubiecti. ſecundus gradus neceſſitatis eſt *Per ſe*, cum nimirum prædicatum vel conſtituit ſubiecti eſſentiã, vel Hoc ad Illius definitionem ſpectat. tertius eſt *Vniuerſale*, ſeu *Quatenus ipſum*, quando prædicatum ſubiecto conuenit ſumpto ſecundum ſuam vltimam differentiam.

II. Vniuerſalitas tam ſubiecti quam temporis duplex eſt, *Poſitiua & negatiua*, Vniuerſalitas Poſitiua *ſubiecti* reſpicit plura inferiora, quibus prædicatum ſubiecti conuenit, vt cum dico *angelus eſt ſubſtantia*; Poſitiua *temporis eſt*, quando prædicatum conuenit ſemper ſubiecto tempore menſurato, idque vel ſimpliciter & abſtrahendo ab omni temporis differentia, & dicitur *Vniuerſalitas logica*, vel ſaltem tum quando cauſæ & conditiones naturaliter poſitæ ſunt, & vocatur *phyſica*. Vniuerſalitas negatiua *ſubiecti* eſt, quando ſub eo non datur inferius, cui poſſit conuenire paſſio, neceſſariò tamen ineſt, vt *DEVS eſt ſapiens*. Negatiua vniuerſalitas *temporis* dicitur reſpectu eius, quod non menſuratur tempore; vt *DEVS eſt æternus*. Itaque ad præmiſſas nõ neceſſariò requiritur *Vniuerſalitas ſubiecti*, aut *temporis poſitiua*, ſed ſufficit *negatiua*, & huius quidem etiam *phyſica*.

III. *Per ſe*, quantum huc attinet, duobus modis accipi poteſt, vt iam inſinuatum; prior difficultatem non habet, *poſterior modus dicendi per ſe*, eſt, quando ſubiectum ponitur in definitione prædicati, tanquam quidam terminus ſeu additamentum, vt *homo eſt riſibilis*; volens enim definire riſibilitatem dico: *eſt aptitudo hominis adridendum*.

IV. Vniuerſale hoc ab eo quod *Porphyrianum* vocant, quodque naturam abſtractam requirit, longè diuerſum eſt, habet enim *reciprocam* cum ſuo ſubiecto *prædicationem*, eſtque hæc neceſſitas maxima, ſaltem extenſiuè, *& ex eo quod ſit mutua*, licet quandoque non ſit eſſentialis, requiriturque ad *perfectiſsimam* demonſtrationem.

HYPOTHESIS

An propoſitiones Phyſicæ ſint veræ.

I. 1. Hæ propoſitiones *Ens naturale, ſubſtãtia naturalis eſt mobilis* in rigore non ſunt *de omni*, intellectæ autem de *corporibus completis* ſunt in *ſecundo modo per ſe*. Sicut enim plura entia

naturalia, item ſubſtantiæ angelicæ quæ *neceſſario naturales* ſunt, in ſe non habent primum principiũ motus *ſenſibilis*, ita econtra mobilitas definitur *aptitudo corporis naturalis ad motum*, quæ quidẽ peculiaris nota eſt ſecundi modi per ſe, vt cõſtat ex numero tertio huius paragraphi.

2. Nec iſta propoſitio eſt de omni, cum dico, materia prima eſt, *qua per ſe ipſam neque quid, neq; quantum, nec aliud quippiam dicitur quibus ens determinatur.* Negatiua enim prædicata, vt ſic demonſtrationem non ingrediuntur, nihilominus comodè per negationem ſummorum generum deſcribitur materia prima, cum ſit quid in genere entis *imperfectiſſimum*, licet enim alioqui definitiones negatiuæ non ſint propriè definitiones, cum non explicent rei eſſentiam, nec dicant *quid res ſit*, ſed potius *quid non ſit*, in rebus tamen *perfectiſſimis* & *imperfectiſſimis* congruè adhibentur, in illis quidem, quia quidquid *poſitiue* de re perfectiſſima dixero, minus quam oporteat dico, In his verò, quia quidquid de re imperfectiſſima *poſitiue* dico, plus prope quam oporteat dico. Vnde etiam Plato primam cauſam, hoc eſt, Deum, & imam cauſam ſeu primam materiam ait definiendam eſſe *per negationem*. Refert ſimplicius 1. Phyſ. comment. 66. & Philop. ibid. t. 69. Quod autem materia prima dicitur *Neque Quid, neque Quantum, &c.* id eſt, negatio omnium ſummorum generum quibus conſtituuntur prædicamenta, non eſt ſenſus quod materia *nil aliud ſit*, quam negatio omnium illorum entium, ſic enim eſſet purum nihil, aut quod eſſentia ipſius conſiſtat in negatione, ſed quod habeat negationem iſtorum connexam, non quidem *conſecutiuè* ſed *concomitanter*, & quidem talẽ quæ nõ ſit *negans* aut *priuans* ſed *Infinitans*, id eſt, talis quæ *ponat omne ſubiectum præterquam id quod negat*; certè materia nec *ineptitudinem* ad ſumma genera, nec *aptitudinem priuationi iunctam* ad eadem includit, ſed aptitudinem ſeu potentiam talem, per quam fit vt potentia *non ſit ſuus actus*, non verò talem, per quam fit, vt potentia *non ſit coniuncta* aut *coniungibilis cum ſuo actu.* B C

3. Cum dico corpus naturale *in facto eſſe* habet duo principia, *in fieri* prout eſt *mutatio* aut *actio* tria, prout eſt *Paſsio* tantum duo, facio propoſitiones de omni: quodlibet enim compoſitum ſubſtantiale in facto eſſe habet materiam & formam tanquam ſua principia, in fieri vero prout eſt mutatio, requirit præterea *priuationem formæ introducendæ*, prout vero illud fieri eſt actio præter materiam & formam ſecluſa priuatione poſtulat *Efficiens*, tandẽ in quantũ eſt Paſſio non niſi materiam & formam exigit. Poſſunt proportionaliter ſua quoque principia aſſignari Compoſito *Priuatiuo*, ſeu per corruptionem producto, talis enim compoſiti in facto eſſe ſunt duo principia, nempe *Materia* & *Priuatio formæ expulſæ.* Eiuſdem in Fieri (quod eſt corrumpi prioris compoſiti) prout hoc eſt mutatio quædam, ſeu *tranſitus ab eſſe ad non eſſe*, præter prædicta duo, tertium principium eſt *Forma realis deſtructa.* Eiuſdem prout eſt *quaſi Actio*, itidem ſunt tria principia, nimirum præter materiam & priuationem loco formæ eſt *cauſſa deſtruens*: demum in quantũ illud Fieri eſt quædam quaſi paſſio, ſeu *receptio priuationis in materia*, ſic non niſi per Priuationem & materiam principiatur. D E

III. 4. Quando dico corpus naturale in communi, *communitate Abſtractiua* quâ tale, eſt obiectum Octo Phyſicorum, facio propoſitionem *de omni negatiuè*. De omni autem *poſitiuè* erit ſi dixero, corpus naturale in communi *communitate concretiua* eſt obiectum totius Phyſicæ. Primo modo dicitur ſumi corpus naturale in cõmuni, quando conſideratur prout ſubeſt *purè* prædicatis eſſentialibus corporis naturalis vt ſic, & abſtrahendo à ſpeciebus particularibus, quomodo certè eſt vnum quid in ratione eſſentiæ, quæ in ſuo ſtatu *concomitanter* inuoluit abſtractionem. Secũdo modo dicitur ſumi corpus naturale, quando conſideratur *vt contractũ* ad omnes ſpecies corporis naturalis *collectiuè*, ſed in quantũ ſimul participant rationẽ & proprietates communes corporis naturalis. Idem in re dicunt, qui obiectum totius Phyſicæ aiunt eſſe corpus naturale in *ſuppoſitione abſoluta adæquata*, quomodo inuoluit *perſonalem*, obiectum autem octo phyſicorũ eſſe idem corpus in eadem ſuppoſitione ſed *inadæquata*, quomodo nimirum perſonalem excludit F

Digitized by Google

cludit. Qui præter ſuppoſitionẽ *ſimplicem* & *perſonalem* nullam aliam admittunt, excluſâ *abſolutâ, Vnitateq́ꝫ formali*, nudâ earũ *ſimilitudine* contenti, hi inquã ipſi viderint, quid pro obiecto octo phyſicorum aſsignent, nam quod aliqui afferunt corpus naturale in *ſtatu ſimplici*, id nullo modo conſiſtit, cum iſte ſtatus prædicata ex ſe non alia profundat, quam *ſecundo intentionalia*, quæ tamẽ à phyſico omnino negliguntur.

G 5. Vniuerſalitatẽ temporis phyſicam habent iſtæ propoſitiones, *Luna eclipſatur, Sol habet maculas, mars eſt infra ſolem, Venus eſt corniculata* &c. æque enim iſta prædicata *ſuo tempore* ſubiectis iſtis coniunguntur atque alia ſuis, imo poſſunt iſthæc & ſimilia prædicata etiam *ſcientificè* de ſuis ſubiectis *demonſtrari.*

H 6. Similem rationem habent iſtæ enunciationes, *materia prima numericè eſt multiplicata, eadem eſt ſubiectum accidentium, Priuatio formæ introducendæ principiat deſinendo.* Prima ex dictis propoſitionibus inde debet ſuaderi, quod materia prima perinde vt reliqua *homogenea*, iam omnino in vnum quoddam continuum conflueret, niſi per *diuerſas formas* in varias pates

I diſtraheretur, adeoque materia *ſecundum ſe* eſſet vna numero. Interim certum eſt quamlibet *partem ſingularem* materiæ, quæ diuerſæ formæ ſubſtantiali ſubeſt, ita neceſſariam eſſe illi compoſito quod vna cum forma conſtituit, vt nullo modo ſit *idem numero* compoſitum permanſurum, ſi eâ materiâ ſublatâ ſubſtitueretur eidem formæ *alia numero materia.* Non ſecus atque *aliud numero* compoſitum eſſet, ſi poſt ſumptionem hoſtiæ conſecratæ, ſpecierumque conſumptionẽ *forma Viuentis* de facto reciperetur in ipſa *quantitate panis*, ſubſtitutâ in Vicem *materiæ* ad hunc effectum cauſandum. quæ quidem ſententia licet aliquid ambiguitatis à S. Th. ſortiatur, ex illo tamen ſancto Doctore clarè non euincitur, & *ſatis certum eſt*, de facto reſtitui eandem numero materiam deſtructi panis, ita vt *agens naturale* producat formam ſubſtantialem vel vnionem ex materia diuinitus reſtituta, tum quando Euchariſtica quantitas diſpoſitiones *repugnantes* formæ panis, & *ſufficientes* formæ viuentis accepit, *quatuor actionibus* in hanc rem *neceſſarijs*, eodem *temporis inſtanti* emergentibus, quæ ſunt iſtæ: *Completio diſpoſitionum*, *Productio materiæ, Vnitio quantitatis*, & *Eductio* vel *Vnitio formæ*; prima & vltima procedunt ab *agente creato*, reliquæ *ab increato*.

K Ex hoc ipſo principio eſt, quod in vniuerſali mortuorum reſurrectione non ſit futurum vt *idem adæquatè homo* reſurgat, identitate ſumptâ in *rigore phyſico* vel *metaphyſico:* nec tamen reſurget homo *tantum moraliter idem*, hoc eſt, præcisè ita, vt maneant partes materiæ *eædem tantum quoad ſitum* & *Figuram Corporis*, & *quoad habitudinem ad eandem animam*, ſed erit idem homo phyſicè, ſaltem *ſecundum aliquas partes*, nempe ſecundum *primigenias*, has enim æquum eſt ita per Diuinam prouidentiã ſeruari, vt ſaltem non omnes alteri homini ita *approprientur*, vt fiant etiam eiuſdem primigeniæ, ſed vt ſicut fuerunt *Vehiculum* & *inſtrumentum* huius animæ, vel ad meritum vel ad demeritum, ita etiam eum eadem anima recipiant *mercedem* vel *pœnam*. Neque periculum eſt, ne in hac aut ſimili alia continuatione partium materialium, ipſa prima materia alioqui *ingenerabilis* tamen *generetur*, ſicuti productâ inter corpus humanum & animã vnione, dicitur generari homo, longè enim diuerſa ratione denominãtur *homogenea* ac *heterogenea*, illa enim productâ inter partes quomodocunque vnione, *Continuari*, hæc verò *Generari* dicitur, eò quod generatio ſit productio alicuius *noui eſſe*, & lõgè *diuerſi ab eo quod in partibus præfuit*, quale nullum in toto homogeneo continuato reperitur.

L Altera propoſitio num: 6 allata ſupponit quod *accidentia* poſſint ſubiectari tam in materia, quàm in quãtitate, loquẽdo de *materialibus nõ Vitalibus*, ijſque *abſolutis*, non quaſi totũ compoſitũ ſit ſubiectũ accidentiũ, aut quaſi eadem numero accidentia in vtroque horum ſubiectorum recipiantur, ſed quia *tam materia quam quantitas connaturale ſubiectum eſt prædictorum accidentium*, *Vt adeò perinde in altero poſſint recipi Vbi alterius abſentia intercurrit*, quin etiam de facto *qualitates pleraſque* partim in materia partim in quantitate ſubiectatas eſſe credimus.

Ad intelli-

Digitized by Google

Ad intelligentiam *Vltimæ propoſitionis*, quàm loco citato de priuatione formauimus, obſeruandū M
eſt, *principium generationis eſſe priuationem formæ inducendæ*, eamque neceſſario principiare
non-eſſendo, non vero abſolute ſemper *deſinendo*, alioqui ſi forma *extrinſecè incipit*, & priuatio
intrinſecè deſinit, demum fieret vt priuatio principiaret & *ante formam introductam*, & *quando*
ipſa adhuc manet, quod vel ex eo incommodum eſt, quia *nequit actuale principium abſque a-*
ctuali principiato rectè concipi. Iam verò qualis priuatio principiet, *proximáne* an *remota*, non N
debet multū controuerti, ſi ſermo ſit de generatione *ſecundùm eſſentiam* ſpectata, ſic enim tan-
tum abeſt vt alterutra priuatio ſit generationis principium, vt etiam poſſit ſine *omnibus diſpoſi-*
tionibus generatio perfici, conſequenter etiam ſine priuatione tam *proxima* quàm *remota*, vtra-
que enim communiter ſumitur à diſpoſitionibus materialibus ſubiecti, quomodo poteſt quidem
certa ratione dici *proxima priuatio*, nempe à *diſpoſitionibus proximè* materiam præparantibus ad
ad ſuſtentationē formę, non tamē poteſt dici principiare per ſe generationem etiam naturaliter,
ſemper enim priuatio *principiaret eſſendo*, quod fieri nequit. poteſt autem concedi priuatio pro-
xima ſi ſumatur non pro ea, quæ vel *perfectas omnino* diſpoſitiones connotat, vel *omnino nullas*,
ſed tantum materiam pro vt hæc per vnicam mutationem acquirit formam, ſed ſi ſumatur pri-
uatio prout connotat quales quales diſpoſitiones, *tempore aliquo imperceptibili* generationem
præcedentes, vel certè eas quæ requiruntur ad id præcisè, vt *materia ritè diſponatur* ad recipien-
dam formam, quantum eſt *ex ſe*, licet non ſufficerent ad ponendam formam, quantum eſt ex *par-*
te efficientis.

III. 7. Cū dico principia phyſica *nec ſunt ex alijs, nec ex alterutris, & ex his omnia*, Nō facio pro-
poſitionē in primo modo dicēdi per ſe, *ſaltē adæquatè*, nulla enim negatio de eſſentia entis realis
eſſe poteſt. Nihilominus congrua eſt definitio, neque indè culpanda quaſi particula *Ex æqui-* O
uocè ſumenda foret, placet enim dicere illam vbique *eodem modo* accipi, nempe *disiunctim* ſeu
in ſuppoſitione confuſa tantùm, vt ſenſus ſit principia non fieri ex alijs, aut alterutris, vel *tanquam*
ex *termino à quo*, vel certè *tanquam* ex *parte componente*, & ex his omnia fieri vel *tanquam* ex
parte componente, vel certè *tanquam* ex *termino à quo*, nunquam enim principia ex alijs fiunt
eo principiandi genere, quo ab ipſis alia principiantur.

8. Hæ propoſitiones ſunt per ſe primo modo, *Elementum eſt cauſa*, *cauſa eſt prin-*
cipium, *initium eſt principium*, ſunt enim iſta prædicata de eſſentia ſuorum ſubiectorum, tan-
quam aliquid ijs ſuperius. Principium enim dicitur à *quo aliquid quomodocúnque eſt*, Initium P
verò præter hoc dicit *rei* quæ ab altero eſt *inceptionem*, cauſa præter rationem principij dicit *rea-*
lem in aliud influxum, Elementum inſuper exigit *intrinſecam* in effectu *inexiſtentiam*. Hæ non
ſunt in primo modo per ſe, *Cauſa eſt initium*, *Elementum eſt initium*, ſi enim DEVS *rem perma-*
nentem creaſſet *ab æterno*, vt profectò potuit, ea non habuiſſet initium, licet tam cauſam ſui
quam elementum habuiſſet. Item ſi per impoſſibile Pater æternus foret *cauſa* filij, non tamen
foret eius *initium*. Porro ratio principij poteſt ſumi vel *intrinſecè* vel *extrinſecè*, priori modo
principia phyſica conueniunt tantùm *æquiuocè*, poſteriori autem *vniuocè*, nam ratio principij
conſiſtit, in quadam *dimanatione vnius ab alio*, ſeu vt *aliquid ad alterum ceu prius*, & *ex qua-*
dam connexione conſequatur, iam ſi hæc dimanatio ſumitur intrinſecè tum nil poteſt eſſe niſi
relatio quædam *tranſcendentalis* in ipſo principio, & hæc in priuatione non poteſt eſſe quid
reale, ſi verò ſumatur extrinſecè, tum eſt *ipſum principiatum vt dimanans*, & hoc ſemper eſt
ſaltem inadæquatè aliquid reale.

9. In ſecundo modo dicendi per ſe eſt iſta propoſitio, *Materia prima appetit formas*, mo- Q
do ſumatur in certo ſenſu, nempe ita vt appetere non ſignificet aliud, quam *inclinationem quā-*
dam innatam erga formas quaſuis, *abſtrahendo an ſint abſentes an præſentes*, quomodo poteſt
dici *Amor*, alias illa inclinatio haberet rationem *deſiderij* vel *cōplacentiæ*, proportionaliter vt fit in
rebus

Digitized by Google

rebus intelligentibus, nec eſſet niſi accidentalis materiæ, cum prior ſit eius quædam *proprietas*. Quod ſi ſumatur illa inclinatio pro ipſa *eſſentiali aptitudine ad formas*, tum ſpectat ad primũ modum dicendi per ſe, *tenditque eſſentialiter ad omnes formas naturales, tam ſubſtanitales quam accidentales, etiam artificiales, etiam deſtructas, & ne quidem formaliter à materia diſtinguitur, eſtq́; vnica ad omnes formas ſi adæquatè ſumatur, licet plures inadæquatè ſint inter ſe formaliter diſtincta.*

IV. 10. Hæc propoſitio, *Corpus naturale eſt mobile*, habet tertium gradum neceſſitatis, & eſt *Quatenus ipſum*, intelligendo nimirum *motum ſenſibilem, eſt enim hæc paſſio conſequens ipſam naturalitatē corporũ vt ſic.* Vnde etiam eſt quod rectius illi loquantur, qui pro obiecto Phyſicæ aſſignant *Corpus naturale*, quam qui *corpus mobile*, cum obiectum formale ſcientiæ non ſit paſſio demonſtranda. Minus tamen iſti à recto recedunt, quam qui aſſignant *Ens mobile*, vel *ſubſtantiam mobilem*, quanquam enim Ariſtoteles in re ſibi ſuiſque non vſque adeò ignota, non admodum laborârit de nominibus, quando in re ipſa cum alijs cõueniebat, ac proinde promiſcuè Phyſicam nunc dicat eſſe de rebus mobilibus & corporeis, nunc de Ente vel ſubſtantia mobili, nunc Scientiam de natura &c. Nihilominus tamen *ſicut definitiones illæ cenſentur optimæ, quibus diſtinctè & clarè explicatur eſſentia definiti, ita etiam illi authores cenſendi ſunt optimè aſſignare obiectum ſcientiæ, qui talibus verbis vtuntur, quæ perfectè & diſtinctè exprimant ſubiectum materiale & formale ſcientiæ*, vti fit vbi pro materiali obiecto Phyſicæ Corpus, pro formali verò Naturalitas aſſignatur.

§. SECVNDVS.

THESIS

An præmiſſæ ſcientificæ ſint primæ & immediatæ.

I. Ait Ariſtoteles non tamen putandum diuerſum quid eſſe propoſitiones primas ab immediatis, aut indemonſtrabilibus, aut per ſe notis, imo nec ab ijs, quæ in tertio neceſſitatis gradu ſupra conſtitutæ ſunt: ſufficit ſi hæc omnia formaliter diſtinguantur. Atque adeò *eadem propoſitio prima eſt, in quantum non habet ſe priorem, à qua demonſtretur, Indemonſtrabilis in quantum abſolutè; Immediata in quantum vllo medio, demonſtrari nequit; Per ſe nota in quantum non indiget quo notificetur; In tertio demum neceſſitatis gradu conſtituta, ſeu de prædicato Quatenus ipſum talis propoſitio dicitur, in quantum nexus eſſentialis ſecundum vltimam differentiam ipſius ſubiecto & prædicato intercedit.*

II. Poteſt propoſitionis immediatio eſſe, vel *reſpectu ſubiecti*, vel *reſpectu cauſſæ.* Prior eſt, *quando prædicatũ ſubiecto ratione ſui, & non alterius ſubiecti ineſt*, poſterior verò quando *nullâ cauſſâ mediante in ſubiecto ineſt paſſio*, ſic iſta, *homo eſt ſenſibilis*, deficit, eſt enim mediata mediatione tã ſubiecti quã cauſæ, ratione enim animalitatis, nõ humanitatis homo eſt ſenſibilis, cũ animalitas vel *rationem ſubiecti*, vel *rationem cauſæ* habeat, prout ſenſibilitas vel pro differentia vel pro accidente ſumitur.

III. Itaque immediatio, *tam ſubiecti quam cauſæ*, vel eſt *ſecundum ſe tantùm*, vel etiam *quoad nos*, illud quidem cum tantùm in ſe nullo medio poteſt probari, vt *homo eſt diſcurſiuus*; hoc verò cum etiam non poteſt quoad nos: vt *animal rationale eſt diſcurſiuum.* Rurſus dupliciter dicitur propoſitio immediata (ſiue ſecundum ſe tantum, ſiue etiam quoad nos) vel formaliter immediata propoſitio eſt, *quæ reſpectu noſtri nullum ſimpliciter habet medium, quo vel ſecundũ ſe, vel quoad noſtrum modum intelligendi probari poſſit.* virtualiter immediata eſt, *quæ quidem haberet medium, ſed quia mihi iam eſt demonſtrata, eandẽ in me virtutem habet ſuadendi, quam haberet, ſi eſſet ad formaliter immediatam reſoluta*, vt huic propoſitioni, *admiratiuum eſt riſibile*, omnino indubium aſſenſum præbeo, quod per hanc, *diſcurſiuum eſt riſibile*, vſque ad iſtam, *omne rationale eſt riſibile* reſoluta nuper fuerit.

IV. Præ-

IV. Præmiſſæ demonſtrationis Propter Quid, debent eſſe *immediatæ quoad nos immediatione cauſæ, idq; ſaltèm virtualiter.* ad demonſtrationem verò potiſſimam opus eſt, vt *ſaltèm maior ſit actu immediata*, cò ipſo nimirum, quod in ea demonſtratione prima paſſio de ſubiecto per cauſam eius proximam inferatur.

HYPOTHESIS.

An propoſitiones phyſicæ ſint Primæ & Immediatæ.

I.II.III. Vniuerſim omnes illæ propoſitiones *phyſica* ſunt immediatæ ſecundũ ſe tantũ, in qui- A
bus vel *de ſubiecto affirmatur proxima paſſio*, vel de *eodem negatur terminus diuerſi prædica-
menti*, aut *diuerſa ſpecies eiuſdem generis*, aut *ſumma genera de ſe inuicem*.

2. Immediatæ etiam quoad nos ſunt illæ propoſitiones *phyſica*, in quibus vel *tota definitio*, B
vel *eius pars affirmatur de definito*, vel *prima paſſio de ſua cauſa*: Item eæ, in quibus *negantur de
ſe differentia diuiſiua eiuſdē generis*. Denique *virtualiter* immediata eſt iſta: *Quod conſtat mate-
riá & formá eſt mobile*, nempe probabilis per iſtam: *Corpus naturale eſt mobile*; Et per iſtam,
quod habet naturã eſt mobile; Et per iſtam, *quod habet in ſe principium motûs eſt mobile &c.*
Exempla ſpecialia ad vniuerſaliores illas propoſitiones ſunt iſta: *Corpus naturale eſt quantum.
Materia prima non eſt generatio, materia prima non eſt forma, materia prima non eſt quantitas*; C
hæ enim ſunt immediatæ ſecundum ſe tantum. Iſtæ verò etiam quoad nos: *Natura eſt principiũ
motûs*, *Quod habet principium motûs eſt mobile*, *Materia prima, quæ reſpicit formas elementares,
non eſt materia illa creabilis, quæ tales formas nõ reſpiceret.* Ex illis propoſitionibus nulla pecu- D
liarem difficultatem habet, niſi fortè prima & vltima, quarum poſterior ſupponit *diuerſam
ſpecie materiam* ab iſta, quæ de facto eſt, ſaltem *à Deo creari poſſe*: poſſe inquam, neque enim de
facto creatam eſſe ſentimus, non enim ita materiã multiplicare opus eſt, ſicut formas ſubſtantia-
les, cum per iſtas tanquam per actus res diſtingui debeant, non verò per illam. Prior verò propoſi-
tio declarationem maiorem expetit, circa *ſubiectum proprium & adæquatum quantitatis*, item
circa *rationem conſtitutiuam ſubſtantiæ corporeæ*. Quod itaque ad primum ſpectat, dico ſubie-
ctum proprium quantitatis non eſt materia prima, ſed *corpus naturale*, ſeu *ſubſtantia corporea in
communi*, id eſt, talis, *quæ cum conſtet partibus integrantibus diuiſibilibus, naturâ ſuâ poſtulat
habere extenſionẽ trinè dimenſam ac impenetrabilem*, adeoque poteſt quantitas conuenire *cor-
pori* tam *ſimplici* quam *compoſito*, licet de facto tantum reperiatur in compoſito, cum corpus ſim-
plex nullum exiſtat, id quod inter ſublunaria manifeſtè euincit *ſubſtantialis tranſmutatio*, quæ
in corpore omnino ſimplici nullo modo poſſibilis foret. Ad ſecundum reſpondendum eſt: Subſtantiã
corpoream non conſtitui per *formam* aliquã *corporeitatis*, quæ ſit *coæua* materiæ, ſed per id, quod
aliquid naturâ ſuâ ſit *profuſiuum*, vel *receptiuum* quantitatis, vel ad hoc *ordinem eſſentialem* di-
cat; primo modo per quantitatem conſtituitur in ratione ſubſtantiæ corporeæ *corpus ſimplex*,
ſecundo *modo materia prima*, tertio quæuis *forma ſubſtantialis*, etiam *rationalis*, nam & hæc
requirit quantitatem in materia prima ita terminatam, vt aptum eſt ad functiones ſibi proprias
exequendas, atque idcirco vna cum materia conſtituit corpus completum, quale ſtatuitur pro
peculiari genere in prædicamento ſubſtantiæ, *ipſa tamen anima corpus* etiam *incompletum dici
non poteſt*, ſed tantum *ſubſtantia corporea* ſaltem *incompleta*, ad corpus enim requiritur *integri-
tas partium*, vt dictum.

3. Deſcendendo iam ad ſpecialiores propoſitiones, quæ *immediata ſint tam ſecundum ſe, quam quoad nos*, principio occurrunt definitiones principiorum, tum deinde definitio cauſarum. Itaque primò definitur materia prima à Philoſ. 1. Ph. t 82. hunc in modum: *Materia eſt ſubiectum primum vniuſcuiuſque ex quo ſit aliquid cum inſit, non ſecundum accidens*, potiſſimum

quod in hac definitione conſiderandum venit eſt, quod materia ſit *ſubiectum*, infertur autem
inde *potentialitatē* eſſe *neceſſariam* materiæ, imò materia etiā *in recto* eſt potentia, & quidē *pura*
potentia, non tamē *obiectiua* ſed *ſubiectiua* : huic potētiæ opponitur *actus formalis*, illi verò *enti-*
tatiuus, ſiue *actus exiſtentiæ*, qui tamen à *potentia obiectiua* , ſeu ab *ipſa eſſentia* nō aliter diſtin-
guitur, quam quod ille connotet actualē dependentiā rei à ſua cauſa, non item iſte, *modò eſſentia*
G *ſumatur pro realitate poſſibili, & non præciſè pro negatione exiſtētiæ.* Materia prima ita *intrin-*
ſecè eſt potentia ſubiectiua, vt ratio potentiæ ab eadē nec *perfectè formaliter* diſtinguatur, & *pro-*
babiliter nullo modo ſit actiua, poſſitque *ſine addito* dici pura potentia, habet tamen *propriam*
exiſtentiam, ab exiſtentia formæ non modò *diſtinctam*, verùm etiam *independentem*, poteſtque
H *naturaliter* ſine hac & illa, *ſupernaturaliter* ſine omni forma etiam *accidentali* exiſtere. Ex eo
quod materia prima dicatur maximè accedere ad *nihilum*, & maximè *diſtare à Deo*, non ſequitur
quod materia ſit *potentia ſimpliciter*, ſine admixtione *actualitatis* ſicut Deus eſt *actus ſimpliciter*
ſine admixtione *potentialitatis*, habet enim materia ſaltem *actū exiſtentiæ*, & *prædicata eſſentia-*
lia, quæ cum ſint *perfectio* quædam, etiam ſunt *actus* quidam. Accedit ergo materia prima ma-
xime ad *nihilum determinatum in genere ſubſtantiæ* , *non verò in genere accidentis* , *magis enim*
recedit à nihilo quam quoduis accidens. Diſtantia autem iſta materiæ à Deo conſiſtit in eo, quod
Deus ſit *maxime actus* , materia verò ſit *maxime potentia* , Deus enim nec eſt *potentia obiectiua*,
I cum neceſſariò ſemper exiſtat, nec *ſubiectiua* , cum nil poſſit recipere , materia verò & eſt *poten-*
tia obiectiua, & *pura potentia ſubiectiua*, *&c.* Nec mirum videri debet , quod Deus poſſit eſſe
actus qui careat omni prorſus *potentiâ* , materia verò nequeat eſſe *potentia* quæ careat omni *a-*
ctu , Deus enim eſt *actus abſolutus* nullam reſpiciens potentiam, materia verò eſt *potentia reſpe-*
ctiua,, tendens ad *actum* itidem *reſpectiuum* , talis autem potentia quæ careat omni actu reſpe-
ctiuo, ſeu quæ ſit potentia ſimpliciter, tantum abeſt vt *de facto detur* , vt etiam *omnino implicet.*
K 4. Forma ſubſtantialis propoſitione immediatâ, & *per ſe notâ* ſic definitur : *Forma eſt actus*
ſubſtantialis compoſiti phyſici. Dantur plures formæ ſubſtantiales , non tantum *numero* , ſed et-
iam *ſpecie & genere* diſtinctæ, aliæ ſunt naturâ ſuâ generabiles & corruptibiles , aliæ verò ingene-
rabiles & incorruptibiles , iſtæ *creantur* & ſunt *ſpirituales*, illæ *educuntur* ex potentia materiæ, &
ſunt *materiales*, earum tamen materialitas non conſiſtit in eo , quod ſecundum aliquid ſui præ-
exiſtant in materia , vel vt reipſa actuent materiam , ab *eaue* dependeant; vtraque habent *pro-*
priam ſubſiſtentiam partialem , quæ cum materiæ primæ ſubſiſtentia in vnam *totalem* & *com-*
pletam vniatur.

5. Naturæ eſſentia propoſitione *indemonſtrabili* hunc in modum explicatur : Natura eſt
L *principium & cauſa motus & quietis eius in quo eſt, primò per ſe, & non ſecundum accidens.* Si
rigidè hanc enunciationem cenſeamus , tum non eſt definitiua , ſi tamen neglectâ voce principij,
intelligamus naturam eſſe *ſubſtantiale, radicale, cauſatiuum motus interni & quietis*, iam pro-
ba erit definitio. Et ſenſus eſt, quod natura *per ſe principaliter* & *radicaliter* tam *motum* quam
quietem cauſet , in eo in quo eſt natura, & poterant illa vltima verba , *& non ſecundum accidens*,
impunè omitti , plus enim huc non faciunt , quam vt ex eo quod ſunt excluſiua oppoſiti , *clari-*
tatem quandam ac *efficacitatem* non inutilem addant , de reliquo idem intelligebatur particu-
lis illis *per ſe*, quibus nimirum excluduntur *principia* motûs interni *accidentalia* ſeu *per acci-*
dens, qualia ſunt etiam *artes*, quæ perinde in ſubiecto alieno ac proprio ſunt motiuæ. Particula,
Et, hoc loco immerito pro *diſiunctiua* particula, *Vel*, accipitur à quibuſdam , vim enim ſuam *con-*
iunctiuam etiam hic exercet , *non quidem reſpectu motus & quietis cum corpore quocunque , ſed*
reſpectu vtriuſque cum ſuo principio ſeu natura , vt ſenſus ſit, & motum & quietem internam vbi
vbi reperiantur , tam ſeorſim quam coniunctim eſſe à natura. Itaque & terra cum quieſcit
tantum arguit naturam , & cœlum cum mouetur tantum *ex ſententia Ariſtotelis* , arguit natu-

Digitized by Google

ram, & lapis cum tam mouetur quam quieſcit, arguit naturam. Accipitur enim hoc loco quies non præciſè pro *priuatione motûs*, ſed pro *poſitiua* quadam in acquiſito termino *permanentia* & *conſiſtentia*, eſt enim terminus per motum acquiſitus *bonum* quoddam & *perfectio* naturæ, ad quam *conſeruandam* natura æque inclinatur, atque ad eandem *acquirendam*. Non tamen opus eſt vt natura aliquid *de facto* producat quando dicitur cauſa *quietis*: ſed ſufficit ſi ex tali quiete colligatur *naturam* eſſe ſaltem *productiuam* alicuius, quomodo rectè colligo terram ſiue *mediatè* ſiue *immediatè* eſſe productiuam grauitatis, quâ ſe ſe ad ſuam quietem recipiat, ſi quando ex ea per *violentiam* fuerit deuoluta. Quod ſi quis contrarium ſibi perſuaderet, is non inconcinnè dicere poteſt, naturam dici cauſam quietis ex eo, quod terminum à ſe productũ effectiuè *conſeruet*, & ſic particula *Et*, vim ſuam *coniunctiuam* exercebit reſpectu quietis, non cum *corpore* quocunq;, ſed cũ ſuo *principio*, vt paulò ante explicauimus. Ratio naturæ cõuenit tam *principio* cõpoſiti *paſſiuo* quã *actiuo*, principiũ tamen paſſiuũ ſeu *materia prima* non habet propriè rationẽ naturæ, niſi *in quãtum ſubeſt forma*, cum enim ex vna parte hîc per principiũ paſſiuum motus, nõ intelligatur quæuis potentia *indeterminata* ad motũ quemcunq;, ſed talis quæ ſit *magis propenſa* ad motum vnum quã ad aliũ; ex altera verò parte materia ſecundũ ſe præciſè ſpectata ſit *indifferens* ad quemuis motum, debebit *determinari* à forma, hæc enim ſicut dat materiæ *peculiare* & determinatum *Eſſe*, ita dat eidem etiam inclinationem ad motus, qui ſunt illi *Eſſe* connaturales, hinc *materia coniuncta* formæ lapidis petet determinatè motum deorſum, coniuncta verò formæ ignis petet motum ſurſum; Cuius rei vlterior ratio eſt, Quia *quæuis pars ſicut eſt propter totum, ita etiam affectat bonum totius, cum ergo materia ſit pars huius totius quod eſt lapis, etiam affectabit bonum lapidis*, quod quidem bonum eſt motus deorſum. Deus, Angeli, Compoſitum, Priuatio, Generatio, non ſunt natura, omnes tamen *formæ ſubſtantiales* ſunt propriè natura, imo *corpori* quoq; *ſimplici* competeret ratio naturæ. Ex his habentur ſequẽtia; Primò motus calefactionis reſpectu aquæ non eſt *realiter* ſtrictè *naturalis*, eſt tamen *naturalis denominatiuè*, & talis dicitur, quia licet ibi forma ignis non exerceat formaliter rationem naturæ, eſt tamen idem materialiter principium, quod in propoſitò non amittit rationem naturæ, *licet per ſimiles motus in extrinſeco nunquam exerceat officium naturæ*. Secundò, Motus lapidis deorſum *proiecti* eſt naturalis ratione *principij paſſiui intrinſeci*, quantumuis *principium actiuum* ſit *extrinſecum*. Tertiò, Eadem de cauſa *alterationes perfectiuæ mixtorum* ſunt ſtrictè naturales, vt *cum ferrum à magnete*, & *ſtramen à ſuccino trahitur*. Quartò, Si elementa eſſent actu in mixto, tum *corruptio* alicuius *mixti* eſſet *naturalis*, vbi enim materiæ diſpoſitiones tranſcenderint temperamentum mixti, & acceſſerint ad diſpoſitiones igni debitas, tum *materia in quãtum ſubeſt igni, inclinabitur ad dimittendam formam mixti*, repugnantem formæ ignis.

6. Cauſa propoſitione *primâ* deſcribitur: *Principium per ſe influens Eſſe in aliud.* Præter materialem entitatem & relationem ad effectum, duo potiſſimum conſideranda veniunt in cauſa, *Vis cauſandi* proxima, & *Cauſalitas* Vis cauſandi ſaltem *formaliter*, cauſalitas in abſolutis *realiter* ab entitate cauſæ diſtinguitur: illa nil aliud eſt quam *fæcunditas quadam cauſæ, entitatem aliquam à ſeſe profundere* proximè *potentis*: hæc verò eſt ipſa *actualis communicatio eius Eſſe, quod effectus habet à ſua cauſa*. Atque ex iſtis rationibus formalibus variâ concretione cauſa phyſica concreſcit, Sumitur enim quandoque cauſa in *actu primo phyſico remoto*, & ſic pro formali dicit reſpectum ad vim cauſandi proximam: aliquando ſumitur cauſa in *actu primo phyſico proximo*, & pro formali habet potentiam cauſandi proximam: aliquãdo ſumitur vt *actualiter influens*, & pro formali habet cauſalitatẽ: aliquando verò vt *relata prædicamentaliter* ad effectum, & ſic per relationẽ in ſuo Eſſe cauſa conſtituitur. Quod attinet ad cauſam in actu ſecundo phyſico, non debet de illa ſic *Abſolutè*, ſed *Reſpectiuè* pronunciari; nam reſpectu diuerſæ conſiderationis

Digitized by Google

ſiderationis eadem cauſa erit & cauſa in actu primo comparatione poſterioris, & in actu ſecundo comparatione prioris formalitatis, vt ignis inſtructus calore, reipſa tamen non calefaciens, eſt tamen cauſa in actu ſecundo *reſpectu ſui cum potentia ſolum remota accepti*, idem ignis eſt cauſa in actu primo *reſpectu ſui vna cum cauſalitate ſpectati.* Solet quandoque cauſa in actu pri-
R mo phyſico abſolutè exprimi per cauſam *in potentia*, in actu verò ſecundo per *cauſam in actu*, ſed quia iſti ipſi termini quandoque applicantur cauſæ *non exiſtenti* & *exiſtenti*, hinc ambiguitati tollendæ additamentum quæritur, dicendo, cauſa in potentia & actu *phyſico* vel *logico*, priorem proximo, poſteriorem hoc ipſo membro deſcripſimus, *nil enim differt cauſa in potentia logica ab non exiſtente, nec ab exiſtente aliud eſt cauſa in actu logico.* Quantumuis à cauſa eſſen-
S tialiter reſpiciantur, nõ tantum *communis* ratio effectus, ſed etiam omnes effectus *in particulari*, adeò vt ſi implicaret vnicus effectus, implicatura ſit tota ratio cauſæ, non tamen cauſa formaliter in ratione cauſæ phyſicæ per hunc reſpectum vt ſic *intrinſecè* conſtituitur, ſed vel ab *actuali influxu*, vel à *virtute profundendi effectum*, quæ ſit cauſæ intrinſeca, per hæc enim quaſi per media entitas cauſæ ad effectum, ponendum tendit. Rnrſus cauſa in potentia phyſica, ſeu *actu primo* phyſico, non conſtituitur per *cauſalitatem poſſibilem*, cum enim cauſalitas poſſibilis, tantum habeat *potentiam logicam*, non poterit cauſam in actu phyſico conſtituere, ſed conſtituet illam in *potentia logica ad Eſſe cauſa phyſica in actu ſecundo:* ſimiliter *vis cauſandi poſſibilis*, conſtituet cauſam *in potentia logica ad Eſſe cauſa in actu primo phyſico proximo.* Numerus cauſarum phyſicarum *quaternario* circumſcribitur: Causâ nimirum *Materiali*, *Formali*, *Efficiente* & *Finali*, nec enim eſt cur hæc vltima excludatur à *verarum* cauſarum cenſu, aut cur *plures* ad iſtum numerum cauſæ adijciantur, cum & membra huius diuiſionis habeant rationes & cauſandi modos *magis diſtinctos*, & omnes reliquæ cauſæ huc non incommodè reuocentur. vt ſunt cauſæ *Diſpoſitiua*, *Inſtrumentales*, *Obiectiua*, & *Idaales*, ſi quidem ſub *imperfectu* ſuis rationibus conſiderentur, nam alioqui ſecundum *certas* & *perfectas* rationes ſub his 4 cauſarum generibus tan-
V quã quædam *ſpecies* continentur, vt *color qui eſt obiectum oculi, in quantũ eſt productiuus ſpecierum viſibilium, continetur ſub cauſa efficiente.* Etiam cauſa *Idaalis* ſub *propria* ſua ratione, non tantum cauſat *moraliter*, ſed *ſuo modo* etiam *phyſicè*, ſicut enim cauſa finalis cauſat *alliciendo* voluntatẽ per modũ *obiecti boni & appetibilis*, ſic idæa cauſat *trahendo* intellectũ per modum *obiecti veri* & *cognoſcibilis*, & æque ex huius atq; ex illi⁹ intẽtione ad aliquod opus accingimur, *virtute intenti obiecti*, quod non eſt in cauſis moralibus, vt in eo qui applicat ignem ſtramini, aut in aqua baptiſmali, ſi ea tantùm moraliter producit gratiam, hæc enim *reuera efficientiam nullam habent*, ſed tantum pro *more* & *conſuetudine loquentium* cauſare dicuntur, licet tantum *imputatiuè* cauſent· homini enim in familiari ſermone non ita vacat, inter id à quo eſt cauſalitas aut conditio, & inter cauſam aut conditionem diſtinguere, propterea vnam pro alia ſæpenumero arripit & enunciat.

§. TERTIVS.

THESIS

An præmiſſæ ſcientificæ ſint Priores & Notiores.

I. Ita vult Philoſophus, & *per hoc iam præmiſſas comparat ad concluſiones, quas antè ad præcedentes alias*, à quibus probarentur *comparauerat.* Et quia duplex noſtræ cognitionis eſt principium, *Obiectum* & *ſenſus*, hinc etiam dupliciter poteſt aliquid *prius* & *notius* dici, nempè vel *ſecundum naturam*, vel *ſecundum nos*, hoc modo *effectus*, illo *cauſa* notiores ſunt; *in obiecto enim*

Digitized by Google

enim cauſa effectum, *in ſenſu verò noſtro effectus cauſam præcedit*, poteſt tamen quandoque idem & ſecundum ſe, & quoad nos eſſe notius, *iſto notionis ſenſu*, alio enim ſenſu etiam notius dicitur, *quod eſt firmiùs creditum*, & *magis ſcitum*.

II. Præmiſſæ debent eſſe priores & notiores tam ſecundum ſe, quã quoad nos, non quaſi *intenſiùs*, aut maiori vi debeat intellectus cognoſcere præmiſſas quam concluſionem, ſed quia illæ maiorem hâc intenſionem *quaſi* habent *in perfectione eſſentiali*, quomodo etiam Angelus dicitur *ſpiritualior* animâ rationali. Cum enim *præmiſſa minus diſtent à primis principijs quam concluſio*, *etiam maiorem habebunt independentiam ab alio*, quod vtique eſt eſſe perfectius alio, & per hoc etiam nobis ſunt notiores, non quod neceſſario prius cognoſcantur, ſed quia ob *radicatiorem ſuam veritatem* firmius creduntur, & *immobilius* ſciuntur.

III. Vnde rectè infertur, *triplici modo* notiores eſſe concluſionibus præmiſſas, *Veritate*, *Euidentiâ*, *Certitudine*, ex totidem enim capitibus *perfectio cognitionis* enaſcitur. Eſt autem hoc loco *Veritas*, non iam *adæquatio propoſitionis cum obiecto*, quomodo vna propoſitio neſcit *verior* eſſe quam altera, ſed eſt ipſa *propoſitionis immutabilitas*, ſeu *neceſſitas* ab obiecto transfuſa. Euidentia eſt huius *veritatis claritas*, eaque vel *immediata*, vt *in primis principijs*, vel *mediata* vt *in concluſionibus*, quæ principiorum claritate illuſtrata euidentèr cognoſcuntur. Hanc naturaliter ſemper ſequitur *certitudo*, quæ nil aliud eſt quam *firma* quædam *adhæſio intellectus*, *fundata in obiecti veritate*, *eámque conſequens per modum cuiuſdam pronæ inclinationis in obiectum*.

HYPOTHESIS.

An propoſitiones phyſicæ ſint Priores & Notiores.

I. Ariſtot. 1. Poſt t. 5. ait, notiora nobis eſſe *ſingularia*, contra verò. 1. Ph. t. 4. ait *vniuerſalia* notiora nobis eſſe ſingularibus, quaſi *antilogiâ* ſuummet ipſe Philoſophus iugulum petere videtur. Sed à ſe non diſcordat Philoſophus, ſi de diuerſo modo cognoſcendi intelligatur: A cognitione enim *potentiali confuſâ*, notiora nobis ſunt vniuerſalia, cognitione verò *potentiali diſtinctâ*, notiora nobis ſunt ſingularia, loquendo de eo quod eſt prius cognitum. Nam *quia prius ſeſe nobis offert id quod confuſum eſt*, *etiam prius cognoſcetur quam id quod eſt diſtinctum*, conſequenter vniuerſalia ſic in confuſo prius noſcentur, quam diſtinctæ eorum partes, nempè ſingularia, quæ ipſa cũ ſint *medium* quoddam, per quod vniuerſalia diſtinctè debent cognoſci, hinc eſt quod in cognitionem diſtinctam *prius* incurrant.

2. Quærunt hoc loco auctores abſolutè quod ſit primum cognitum, *cognitione originali actuali confuſâ*. Variè reſpondent: ego ſentio abſolutè primum cognitum eſſe aliquod *ſingulare accidentis*, B hoc tamen diſcrimine, vt ſi aliquod *impedimentum ſit*, vel circa obiectum non debito modo applicatum, vel in intellectu non adhibente debitam aduertentiam, tum primum cognitum eſſe ſingulare accidens *gradus vniuerſalioris*, ſi verò *abſit impedimentum*, tum primum cognitum eſt ſingulare accidens *gradus inferioris*.

3. Non opus eſt ſigillatim adducere propoſitiones phyſicas, ad oſtendendum quæ alijs priores C & notiores ſint, vniuerſim enim *ea quæ cauſam continent*, & *quæ vniuerſaliores ſunt*, ſaltem *ſecundum ſe* priores & notiores ſunt ijs, quæ continent effectum, aut quæ ſunt particulariores: ſicut enim eæ priores ſunt effectu in *Eſſe*, & vniuerſalia particularibus, ita & in *cognoſci*. Neque D eſt hic ſermo de *prioritate temporis*, quaſi opus ſit cauſa phyſica tempore præcedat effectum, ſufficit *prioritas naturæ* aut *rationis* illam in genere tamen Recentiores non eodem modo explicant: aliqui enim prioritatem naturæ dicunt illam, quam Ariſtoteles in Poſtprædicam. vocat *ſecundum ſubſiſtendi conſequẽtiam*, vt illud ſit prius *quod ab altero infertur*, licet non inferat alterum,

Digitized by Google

terum, quomodo animal eſt prius homine. Alij vero *prioritatem naturæ* nullam aliam vocant
quam *prioritatē cauſæ*, ſiue ea reciproca ſit ſiue non, licet Ariſtoteles *tantum cauſas reciprocas*
ſub tali prioritate comprehendat.

E 4. Cum ergo ex ſententia Philoſophi *loquendum* ſit *vt multi*, hanc eius ſententiam ſequi-
mur, & prioritatem naturæ accommodamus cauſis quibuſcunque, & dicimus illam nil aliud eſſe,
quam *independentiam cauſæ ab effectu*, & *dependentiam effectus à cauſa*, ex eo enim quod cau-
ſa abſq; effectu per ſe poſſit conſiſtere, habet intellectus fundamentū concipiendi cauſam ante ef-
fectum, quod eſt eſſe prius naturâ cauſam quam effectum. Inde clarè ſequitur, cauſæ *in actu
primo phyſico*, competere prioritatem naturæ, cauſam autem *in actu ſecundo phyſico*, ſiue vna
cum cauſalitate ſumptam, non eſſe *priorem* effectu niſi *ſolâ ratione*; cum enim ex vna parte
cauſa ſic ſumpta includat cauſalitatem, ex altera verò parte *cauſalitas* ſit ipſa *actualis poſitio ef-
fectus*, tam parum poterit ſine effectu concipi cauſalitas aut cauſa, quam parum poteſt ſic ipſa
F effectûs poſitio intelligi. Diuiditur prioritas in prioritatem *à Quo*, & *in Quo*, quam com-
munius ita explicant, vt prioritas naturæ ſit prioritas à Quo, non in Quo, ita vt ſenſus ſit prio-
ritatem naturæ eſſe *entitatem cauſſæ exiſtentis, à Qua oritur effectus*, non in Quo ſiue *in inſtanti
reali, in quo ſit cauſa & non ſit effectus.* Non nemo tamen è diuerſo prioritatem *naturæ* vocat
prioritatem *In quo*, prioritatem verò *rationis* vocat prioritatem *à Quo*, quæ eſt quæſtio nomi-
nis. Dicimus autem *cauſam* vna cum cauſalitate ſumptam eſſe tantum *priorem ratione* quam ſit
effectus, non quaſi ab effectu non realiter diſtinguantur, ſed *quia in ratione obiecti non poſſunt
hæc à ſe inuicem ſeorſim cogitari*, ſiquidem apprehendi *conuenienter ſua natura* debent, *per fi-
ctionē* tamē intellectus aliter cognoſcit; cū enim intellectus videat, quod v. g. actio ſe aliquo modo
habeat ex parte cauſæ, & cauſa ſecundum ſe poſſit eſſe ſine effectu, etiam apprehendit actionem
ſine effectu, cum tamen *actio & effectus ſint ſimul naturâ, illa vt Quo, iſte vt Quod &c.*

G II. Huculque ſermo fuit de eo cognitionis genere, quo res *prius apprehenduntur*, iam ali-
quid ſic adhuc in genere dicendum eſt de eo, quo res *firmius creduntur*, & *magis ſciuntur*, tam
quoad *veritatem*, quam quoad *euidentiam* & *certitudinem*. Itaque propoſitiones phyſicæ quæ
concluſionem demonſtratiuam præcedunt, ita firmiter ſciri debent, vt ſi *minimus* in ea firmitate
defectus, aut *minimum* vacillationis *periculū* intercedat, eò ipſo etiam concluſio à demonſtratio-
ne deficiat. Et hoc poteſt 5. modis fieri. primo ſi *aſſenſus* præmiſſarum *non ſit verus*: vt ſi dicam,
mundum non potuiſſe eſſe ab æterno. Secundo ſi aſſenſus verus quidem ſit, non tamen per *moti-
uum* infallibile: vt ſi dicam, humanâ arte poſſe fieri verum aurum, *quia multi viri graues ma-
gnis ſumptibus tentant hoc efficere.* Tertiò ſi aſſenſus ſit verus & motiuum infallibile, *modus* ta-
men *applicandi* motiuum non ſit infallibilis: vt ſi dicam à Dæmone ſagas transferri poſſe, *quia
illæ dicunt* hoc non eſſe ſupra vires Dæmonis. Quartò ſi hæc omnia ſint quidem infallibilia, hoc
tamen *aſſentiens non ſciat*; vt ſi quis neſciat formam ſyllogiſticam legitimam rectè concludere,
habeat tamen præmiſſas infallibiles Quintò ſi in prædictis penitus non ſit defectus, *aſſenſus* ta-
men demonſtrantis *non ſit firmus*, vel quia non habet ſufficientem euidentiam, vel quia deeſt
congrua voluntatis applicatio.

III. Euidentia & Certitudo præmiſſarum phyſicarum abundè probatur communi illo axio-
H mate, quod affert Ariſtoteles: *Propter quod vnumquodq; tale & illud magis tale*, nam propter
præmiſſas concluſio eſt certa & euidens. Veritas verò præmiſſarum non peræque ab omnibus ex-
plicatur, licet enim conueniant. hîc non intelligi quamcunque veritatem, ſed quæ *neceſſitati*
coniuncta ſit, hanc ipſam tamen veritatem aliqui plus æquo laxant. Nobis hoc omnino indubi-
tatum eſt, tum ex *mente Ariſtotelis*, tum ex ipſa *rei natura*, ad Scientiam ſtrictiſſimè dictam
non ſufficere illum propoſitionis *quantumuis neceſſarium* nexum, qui aliquam demum contin-
gentem, etiam *milleſimam* retrò hypotheſin in ſubiecto inuoluit. Sequentes ergò & ſimiles pro-
poſitio-

Digitized by Google

poſitiones non habent ſufficientem Demonſtrationi neceſſitatem: *Scamnum eſt aptum continere ſedentem; Mercurius ligneus habet formam hominis; luce illuſtratus videri poteſt; Homo replicatus vno loco ſtare, altero ſedere poſſet, Duo corpora penetrata abſq; inuicem loco moueri naturaliter non poſſent &c.* Hæ verò & ſimiles habent *perfectam* neceſſitatem: *Materia prima vt ſubeſt forma Mercurij, habet ſpeciem humanam, vt ſubeſt ſcamno, eſt apta continere ſedentem, luce illuſtrata videri poteſt &c.*

I

Diſparitas neceſſitatis quoad has propoſitiones inde eſt, quod priorũ prædicata ſupponãt *contingentem coniunctionem partium ſubiecti inter ſe,* idque non tantum ſecundum exiſtentiam, ſed etiam ſecundum eſſentiam, poſteriorum verò propoſitionum prædicata ſupponunt *coniunctionem* partium ſubiecti *neceſſariam*, ſaltem ſecundum exigentiam; requirit enim materia prima quamuis formam etiam *artificialem* in ſe recipere, lignum verò nullo modo, vnde quidquid ex coniunctione formæ artificialis cum ligno etiam neceſſario ſequitur, illud *maiorem* neceſſitatẽ aut firmitatẽ *fundamento* ſuo habere non poteſt, cũ non niſi in tantũ ſequatur in quãtum talis forma tali ſubiecto coniungitur, perinde ferè vti totũ ædificiũ ruinoſum eſt *fatiſcente fundamento*, quantumuis ſuperiora quodcunque conclauia ahenex firmitatis commiſſuris inter ſe ſe cohæreant. Ad horum euidentiam ſciendum eſt, ea quæ ſunt neceſſaria ſimpliciter, vel eſſe neceſſaria *ſecundum exiſtentiam*, vel *ſecundum eſſentiam*: neceſſaria ſecundum Exiſtentiam ſunt, *quæ ita exiſtunt, vt* quantum eſt ex ratione agentium, naturalium *non poſſint non exiſtere*, ſic Sol quotidie neceſſariò eſt in noſtro Hemiſphærio, & hæc neceſſitas vocatur etiam *Extrinſeca*. Neceſſaria ſecundum Eſſentiam ſunt, *quæ habent connexionem* prædicati cum ſubiecto *ita neceſſariam, vt ſimpliciter non poſſint ſeparari quoad exigentiam:* ſic Rationale coniungitur animali. Hæ duæ neceſſitates ita ſe habent, vt alterutra poſſit eſſe ſine altera, ſic ortus Solis ex plurium ſententia habet neceſſitatem Exiſtentiæ, non verò Eſſentiæ; motus verò lapidis deorſum, ortus ex *remotione obſtaculi*, habet neceſſitatem Eſſentiæ, non verò Exiſtentiæ. Et hæc neceſſitas vocatur *Intrinſeca*, & vtraque poteſt eſſe vel *ſimpliciter*, vel *ex ſuppoſitione.* Neceſſitas extrinſeca ex ſuppoſitione eſt duplex, alia eſt ex ſuppoſitione *contingenti*, alia eſt ex ſuppoſitione *neceſſaria*, illa eſt neceſſitas *ſecundum quid*, hæc verò adhuc eſt neceſſitas *ſimpliciter*, ſi enim ſuppoſitio non pendet à mea libertate, etiam illud non pendebit à mea libertate, quod hanc ſuppoſitionem ſequitur, v. g *ſuppoſito quod neceſſariò ambulem, etiã neceſſario moueor.* Tribus autem caſibus neceſſitas ſuppoſitionis non tollit libertatẽ, primo *quando ſuppoſitio ipſa eſt in noſtra poteſtate;* ſic poſito quod ſcribã *liberè* tamen moueo manũ, quia ſicut poſſem non ſcribere ita poſſem non mouere manum. Secundo *Quando ſuppoſitio ipſa quidem non eſt in noſtra poteſtate, pendet tamen aliquo modo ab eo quod eſt in noſtra poteſtate,* ſic poſito quod DEVS præuiderit Antichriſtũ dãnandũ, *liberè* tamen ille dãnatur, licet enim non ſit *in poteſtate* Antichriſti hæc ſuppoſitio præſcientiæ diuinæ, ſeu licet Antichriſtus *aliquo modo* nõ poſſit facere, vt non præſciatur damnandus, tamẽ hæc ſuppoſitio pendet *obiectiuè* ab actionibus malis Antichriſti *liberè futuris*, ſi enim ille non eſſet liberè peccaturus, & ſic in peccato moriturus, etiam non præuideretur dãnandus. Tertio neceſſitas ſuppoſitionis non tollit libertatem, *quando ſuppoſitio quidem ipſa non eſt in noſtra poteſtate, nec immediatè pendet ab eo, quod eſt in noſtra poteſtate, ſed tamen ſupponit aliquid quod pendet ab eo, quod eſt in noſtra poteſtate.* Id quod quidam ex Theologis cõmode explicant exemplo actionis humanæ *liberè exercendæ*, vtcunque illa à Deo ante præuiſam cooperationẽ abſolute futuram *prædefiniretur*, ſed de hoc illi. Ex his iam proportionaliter ſentiendum eſt de *neceſſitate intrinſeca* ſeu *Eſſentiæ*, vt ſupra indicatum; nulla enim ſuppoſitio ſiue *præuia* ſiue *concomitans* quantũuis neceſſaria, afferre poteſt neceſſitatem eſſentiæ, ſi *quocunq; demum modo* in aliquam *contingentiam* reſoluatur. Vnde primò licet *poſito*, quod Deus eſſentiam ſcamni videat;

K

L

Digitized by Google

deat, illa neceſſariò talis ſit; & quamuis ſecundò etiam iſta hypotheſis *non ſit ex ſe contingens:* & licet tertio eadem *non pendeat* ab aliquo quod ſit contingens (pendet enim ab *imitabilitate* diuinæ eſſentiæ, quæ vtique neceſſitatem habet) quia tamen quartò illa hypotheſis *ſupponit* aliquid, quod *demum pendet aliquo modo ab eo quod eſt contingens*, hinc abſolutè non poteſt inferre neceſſitatē *ſimpliciter* dictam, adeoque eſſentia ſcāni manebit contingens quo ad *connexionem* prædicati cum ſubiecto. ſupponit enim illa hypotheſis *imitabilitatem* diuinæ eſſentiæ, quæ *demum pendet à nexu* formæ ligni cum ſuo ſubiecto, *qui eo ipſo contingens eſt, quod hac forma à ligni intrinſecis principijs naturali exigentia non expetatur: imò quod eadem forma ſuo ſubiecto neceſſario coniungibilis ſit per nexum contingentem:* & taliter *etiam à diuina eſſentia repræſentetur.*

§. QVARTVS.

THESIS.

An præmiſſæ ſcientificæ ſint ex Cauſis concluſionis.

I. Cauſam concluſionis vt contineant præmiſſæ ex præcepto eſt, & ipſa ratione ſcientiæ, quæ nimirum eſt *cognitio rei per cauſam.* Eſt cauſa, vt huc facit, alia in *cognoſcendo*, alia in *eſſendo*, & hæc ipſa vel *formalis* vel *virtualis*. Cauſa in cognoſcendo eſt *medium cognoſcendi effectus*, cauſa verò in eſſendo eſt *medium cur ſit effectus*, idque vel formaliter, vt cum inter cauſam & effectum *realiter diſtinctum* intercedit *vera dependentia* & *influxus phyſicus*, vel certè virtualiter vt quandò *nec diſtinctio nec influxus* inter hæc *realis eſt*, ita tamen inter ſe comparantur, vt ſi cauſam aliquam haberet id, quod à nobis inſtar effectus apprehenditur, nullam haberet aliam ab ea, quam nos virtualem dicimus, ſic immutabilitas eſt cauſa æternitatis in Deo.

II. Neceſſarium eſt vt præmiſſæ demonſtrationis contineant *cauſam* concluſionis, tam Eſſendi quam Cognoſcendi, eamque *particularem* & *ſaltem virtualem*; nec enim eſt cur de hac vltima parte requiſita dubitemus: certè minùs conſequenter loqui videntur illi, qui aiunt requiri cauſam realiter diſtinctam *ab effectu*, & tamen negant requiri cauſam *à ſubiecto* realiter diſtinctam, vt cum per *definitionem* ſubiecti probatur *prima paſſio* de eodem. Item qui propoſitiones ſolum *virtualiter immediatas*, & quæ ſint *negatiuè de omni*, vt ſufficientes concedunt: vt ne dicam præterea iſtos difficulter oſtendere, quomodo demonſtratio ex omnibus *quatuor cauſarum generibus* confiat, quod tamen docet Philoſophus.

HYPOTHESIS

An propoſitiones phyſicæ ſint ex Cauſis concluſionis.

I. II. Tam palam iſtud eſt in Phyſica, vt ne quidem dubitandi locus ſuperſit. Cauſæ vt plurimum ſunt *Formales:* à *virtuali* cauſa eſſet demonſtratio, quâ lapis oſtenderetur eſſe compoſitum naturale, eò quod *conſtet materiâ & formâ vnitis*, ſentimus enim compoſitum à partibus vt vnitis ne quidem *perfectè formaliter* diſtingui.

2. Ex omnibus quatuor cauſarum generibus poteſt fieri demonſtratio, quia omnes effectus ſuos ponere natæ ſunt. Cauſæ *intrinſeca* ſunt materialis & formalis, diſtinguuntur à ſeipſis prout habent *rationem principij* per hoc, quod *vt cauſa* habeant verum *influxum* in effectum Cauſæ materialis effectus ſunt, tum *Compoſitum*, tum *Formæ materiales* tam Accidentales quam Subſtantiales, & quidquid demum in materia *receptum* creatione non producitur. Vis ſeu *principium* cauſandi Materiæ & Formæ *proximum*, non eſt quid à materiæ entitate realiter diſtinctum.

Digitized by Google

ctum. Cauſalitas Materiæ & Formæ non eſt ipſa Materia, prout connotat *Vnionem* & *Medium dependentia*, ſed Materiæ Cauſalitas reſpectu Compoſiti ſecundum *entitatem*, tam in *Fieri* quã in *Facto* Eſſe ſpectati eſt *Vnio*. Idem verò Compoſitum ſpectatum *præciſè* ſecundum Fieri, item Vniones & Formæ materiales, tam in Fieri quam in Facto Eſſe cauſantur à materia per *Paßionẽ*. Eadem numero *Vnio eſt etiam Cauſalitas Formæ* in materiam. Forma habet effectum duplicem, *Poſitiuum* vnum, quod eſt Compoſitum, & *Negatiuum* alterum, quod eſt expulſio prioris formæ, quæ tamen *ſolâ ratione non naturâ prius* perficitur, quam ſequens forma in materiã introducatur.

3. Cauſæ rerum *extrinſecæ* ſunt Efficiens & Finis. Efficiens eſt *id, Vnde primum principium Mutationis aut Quietis*. Potiſſimæ diuiſiones ſunt in *Vniuocam* & *AEquiuocam*, Illa eſt *eiuſdem* ſpeciei cum effectu, Hæc *diuerſæ*. Secundo In *Principalem* & *Inſtrumentalem*, Illa eſt quæ *propriâ* virtute producit effectum, qui vim & virtutem illam non excedat. Hæc eſt, quæ *alienâ* virtute producit effectum qui vim inſtrumenti excedat. Tertio In *Totalem* & *Partialem*, Illa *Totum* effectum producit, *Totaliter*, & naturaliter loquendo etiam *Sola*: Iſta non niſi cum *Concauſa*, eâdem tamen indiuiſâ vtraque actione agunt. Quarto In *Productiuam* & *Conſeruatiuam*; pauca ſunt quæ à Creaturis pendent in Conſeruari, certè nulla ſubſtantia, neque accidentia illa quæ *proximè* ad generationem ſubſtantiarum ordinantur. Radicale *principium* operandi *Quod* in Compoſitis ſubſtantialibus, eſt Forma ſubſtantialis, quandoque eſt etiam principium agendi *Proximum*, nempe tum reſpectu *accidentium immanentium*, tum reſpectu *Paßi* ſibi ſufficienter *coniuncti*, ita tamen vt in poſteriori caſu non ſola forma, nec ſola accidentia, ſed *Vtraq; ſimul*, & accidentia quidem tam ea quæ ſunt *in Paſſo*, quam ea quæ ſunt *in agente*, agant in paſſum, producendo tam accidens quam ſubſtantiam. Quod ſi forma ſubſtantialis abſit, tum *ſola accidentia* ſunt *principium proximum Quo* cauſatur effectus, etiam ſubſtantialis, ſed non niſi in *Virtute Subſtantiæ*, cui accidens naturâ ſuâ ſubordinatur, nempè in *Virtute* non Indiuidui Vagi, aut Cœli, ſed *Naturæ Communis*, cui vt agenti Principali formaliter omnis omnino effectus ſubſtantialis adſcribendus eſt, à quocunque demum accidentia effectum Inſtrumentaliter producentia ponãtur, *imò ipſa etiam accidentia immediatè ab accidente producta, pro Principali cauſa ſua formaliter agnoſcunt naturã communem, Vt ſic, non Verò Vt Indiuiduam.*

4. Finis eſt Id, cuius gratiâ. Præcipuè primo diuiditur in Finem *Cuius*, & Finem *Cui*, Ille eſt *res ipſa cuius deſiderium habemus*, Iſte eſt, *id, cui rem aliquam obtinere Volumus*. Secundo In Finem *Formalem* & *Obiectiuum*. Formalis eſt *ipſa rei acquiſitio*, Obiectiuus eſt *res acquirenda*. Finis Cuius includit Formalem & Obiectiuum, nec habet rationem Finis *adæquatam* & *perfectam*, niſi coniungatur Fini Cui. Vis ſeu *principium Quo* cauſandi Finis, eſt *Bonitas Vera* vel *apparens*, *Honeſta* vel *Delectabilis*, imò etiam *Vtilis quâ talis*. Cauſalitas eſt *Intentio*. Effectus Cauſæ Finalis ſunt tantum *Media*, & *Actiones* circa media elicitæ. Agentia *intellectualia* omnia, etiam DEVS, imò *Bruta* quoque, & *Agentia Naturalia*, agunt *propriè* propter Finem. Conditio requiſita ad id vt Finis cauſare poſſit, eſt, tum vt eius *bonitas apprehendatur*, tum vt finis *non* appareat *impoßibilis*. Simplex complacentia quæ *intentionem præcedit*, eſt quædam quaſi diſpoſitio ad effectus finales, ſed non neceſſariò requiſita; quandoque enim *præparat* quaſi *voluntatẽ*, ad id, vt poſſit exercere cauſalitatem, ſeu intentionem.

§. QVINTVS.

THESIS

An præmiſſæ ſcientificæ ſint Propriæ.

Sic tandem vltimò decernitur, eo ipſo fore, quod *priores conditiones* habeant. Itaque primò

præmiſſæ

Digitized by Google

præmiſſæ non debent eſſe ex *alienis*, non enim licet tranſire *de genere in genus* vt ait Ariſtoteles 1. Poſt. cap. 8. & ratio eſt, quia malè demonſtraretur effectus non ſpectans ad hæc principia & has cauſas, *cauſa enim non eſt apta inferre niſi proprium effectum*. Secundo Etiam non debent eſſe ex *communibus*, tum quia talis *cognitio* foret *imperfectior*, tum quia ex ſupernis conditionibus conſtat, requiri *cauſam* cum effectu conuertibilem.

HYPOTHESIS.

An propoſitiones Phyſicæ ſint Propriæ.

Sunt; vt probant rationes in Theſi *Vniuerſaliter* factæ. Et ex *priori* quidem deduci poteſt, quid omnino ſentiendum ſit de ſcientijs *Subalternatis*, in quibus per Ariſtotelem licet *tranſire de genere in genus*, atque à *ſubalternantibus principia tranſumere*. Noſtra doctrina *ad ſcientiā Phyſicam accommodanda* conſiſtit in ſequentibus. 1. Primo Sciētia vna alteri ſubalternari dicitur, quando cum illa habet idem obiectum aliquo modo, & aliquo modo non, ita nimirum vt Scientia ſubalternata habeat *idem obiectum eſſentialiter* cum obiecto ſubalternantis, niſi quod obiectum illius habeat *additam conditionem accidentalem*, quâ caret obiectum iſtius: accidentalem, inquam, non quaſi illa conditio *obiecto ſecundum ſe ſumpto*, aut *prout* illud à *ſubalternata conſideratur*, contingens ſit, ſed quia contingens eſt illi obiecto *in quantum conſideratur à ſubalternante*: Sic viſibilitas contingens eſt lineæ in quantum hæc conſideratur à Geometria, neceſſaria verò eſt lineæ, & ſecundum ſe, & in quantum linea eſt obiectum Perſpectiuæ.

2. Iſta conditio accidentalis, non eſt *ratio formalis* obiecti ſcientiæ ſubalternatæ, ſed ſpectat tantum ad *obiectum Materiale*, illudque à ratione obiecti ſcientiæ ſubalternantis *determinat* ad rationem obiecti ſcientiæ ſubalternatæ, & ſic *iſta ſcientia ab illa neceſſariò dependet*, eſſentialiter tamen nihilominus diſtinguitur, vt vt alioqui *eadem* prorſus *paſſiones* per *eadem principia* ab vtraque demonſtrentur.

3. Rectè Ariſtoteles dixit licere *tranſitum de genere in genus* quoad ſcientias ſubalternatas: quia enim ex ſubiecto oriuntur principia & paſſiones, conſequens eſt, vt vbi eſt *idem ſubiectum* ſiue *obiectum*, ſint etiam *eadem principia & paſſiones*, ita tamen vt paſſiones quæ in ſubalternata demonſtrantur, conueniant *per ſe* primò ſcientiæ ſubalternāti, vtpote *cuius obiecto vt ſic connaturales* ſint, & *ratione huius* deinde conueniunt etiam Scientiæ ſubalternatæ, perinde ferè, vt *diſgregare viſum primò conuenit albedini, & ratione huius etiam niui.*

4. Rectè dicitur obiectum Scientiæ ſubalternatæ *contineri ſub obiecto* Scientiæ ſubalternantis, quia nimirum illud ob additam conditionem accidentalem *minus latè patet* quam iſtud. Rectè etiam dicitur quod Scientia ſubalternans *ſciat propter quid*, ſubalternata verò *ſciat* tantum *quia*. Non quidem eo ſenſu hoc dicendum eſt, quaſi ſcientia ſubalternata non *euidenter ſciat*, ſed tantum *credat* ſubalternantis principia, aut quaſi tantum *à poſteriori* procedat, ſed quia ſubalternans nititur *principijs* omnino *independentibus*, ſubalternata verò talibus, quæ aliquo modo *dependeāt* à ſubalternante, vnde hæc illis *poſteriora* ſunt. Cæterum quando ſubalternata Scientia *aſſumit* principia ſubalternantis, non ita ſtatim *arripit*, prout illata ſunt, ſed poſtquam intellectus intulit aliquam concluſionem, tum idem intellectus circa illam concluſionem *verſatur* per cognitionem *non diſcurſiuam, immediatè* penetrando terminos, & illi *euidenter aſſentiendo*, atque inde nouam concluſionem *deducendo, &c.*

5. Ex his ſequitur primò, Scientias duas quarum vna demonſtrat *paſſiones proprias de ſpecie*, altera *de genere*, non eſſe ſubalternas, eas tamen quarum vna demonſtrat paſſiones *proprias de genere*, altera verò *genericas de ſpecie*, eſſe ſubalternas, v. g. ſi de *Rationali & Animali ſimul ſumptis*

Digitized by Google

ſumptis probatur *ſenſibilitas*, non verò ſi de *Rationali* probetur *riſibilitas*, de *Animali* verò *ſenſibilitas*. Ratio eſt, quia *differentia diuiſiua generis*, *ſi ſumantur determinatè*, *habent ſe ad genus vt accidentia*, itaque ſi de illis vt coniunctis generi non demonſtratur propria paſſio, tum cenſentur ſe habere tantum ex parte obiecti materialis, & habent idem obiectum cum Scientia de genere, eaſdem paſſiones & eadem principia. Contrarium fit ſi de iiſdem probetur paſſiones propriæ, ſic enim cenſentur ſe habere ex parte obiecti formalis, & conſequenter *diuerſificare adæquatè* obiecta vtriuſq; Scientiæ.

6. Pari ratione ex iiſdem ſequitur ſecundo, Nec Metaphyſicæ nec Logicæ *propriè* ſubalternari Phyſicam, aut reliquas Scientias, neque *practicas ſpeculatiuis*. Ratio primæ partis eſt, quia obiecta formalia reliquarum ſcientiarum ſunt omnino diuerſa ab obiectis Metaphyſicæ & Logicæ, ergo *non poſſunt ab his illa ſua principia accipere*. Ratio ſecundæ partis eſt eadem, & conſtat *peculiariter* ex eo, quod *Scientia practica* ſuum obiectum formale *efficiant*, quod ſecus eſt in ſpeculatiuis, & quod vtræque *diuerſas paſſiones* demonſtrent, Phyſica enim v. g. oſtendit *contrarietatem* tantum qualitatum inter ſe, Medicus verò oſtendit, qui inde morbi exoriantur, & quo modo illi ſint *pellendi*, à quibus ſit abſtinendum Febricitanti, à quibus Epileptico, à quibus aliter morbido. Hoc verum eſt, Medicina omnino *nititur* principijs Phyſicis *vltimatò*, ſed *quaſi extrinſecè*, id eſt, ex eo quod Phyſica oſtendit quæ qualitates ſint contrariæ, Medicina progreditur & colligit quo pacto morbi curandi ſint, cum enim contraria ſe non compatiantur, concludit *contraria contrarijs eſſe curanda*. Sed vbi Medicina procedit ad faciendam aliquam concluſionem, tum *non nititur immediatè* principijs Phyſicis, ſed tantum *mediatè*, in quantum nimirum intellectus ex principijs phyſicis progreſſus eſt ad aliquod *principium practicum* ex illis deducendum.

§. SEXTVS.

Exemplum & diſputationis Compendium.

Tandem vt in *Compendio* quaſi comprehenſa cernatur, iucunda hæc Ariſtotelis de Demonſtratione doctrina, in vnico exemplo videndum eſt, quomodo deſcriptæ *prioribus quatuor paragraphis* conditiones exerceantur, & qua de cauſa adhibeantur. Et ne *incertis* vel *incognitis* vtamur *exemplis*, tritiſſimo exemplari contenti erimus, quod omnes pro demonſtratione *potiſſima* habent, & eſt tale: *Omne rationale eſt diſcurſiuum, omnis homo eſt rationalis, ergo omnis homo eſt diſcurſiuus*. Hic ergo concluſio eſt *aſſenſus certus & euidens rei neceſſaria per cauſam*, adeoque eſt cognitio Scientifica, ſiue Scientia actualis, ſeu *effectus demonſtrationis*, qui non poteſt haberi, niſi *præmiſſæ* ſint *proportionata*, quod fit per prædictas, & noſtris Theſibus explicatas conditiones, quas cõuenire præmiſſis propoſiti exẽpli ſic declaratur. Primò Vtraq; eſt *Vera* ſeu *neceſſaria*, tùm quia in vtraque connectitur prædicatum ſubiecto ſine vlla contingenti hypotheſi, ſed ſunt ex *principijs naturali determinatione coniunctis*, tum quia ſunt de omni, *per ſe* primo vel ſecundo modo, *& quatenus ipſum*, nam omne rationale eſt diſcurſiuum, & omnis homo rationalis. item *maior* eſt per ſe ſecundo modo, *minor* verò primo modo, hæc enim habet prædicatũ ſubiecto eſſentiale, illa habet prædicatum in cuius definitione ponitur ſubiectum. Tandem & *diſcurſiuitas rationali*, & *rationalitas homini* conuenit ſecundum *vltimam* & *ſpecificam rationem*, atque adeò *conuertibiliter*. Secundo Præmiſſæ iſtius exempli ſunt *prima* & *immediata*, etiam quoad nos *formaliter*, quia neutra poteſt probari à priori in eodem genere cauſæ, nam differentia ſubiecti non definitur, cum non conſtet genere.

Digitized by Google

Tertio, Sunt *priores* & *notiores* concluſione, tam *quoad naturam* quam *quoad nos*, cum Rationale ſit cauſa Diſcurſiuitatis in homine; quod autem etiam ſint priores ſecundum nos, id neceſſarium eſt, aliàs non foret Demonſtratio. Quarto Sunt hæ præmiſſæ etiam *Veriores*, *euidentiores*, *certiores*. Quinto Continent *cauſam* tam *Eſſendi* quam *Cognoſcendi*, *Formalem*, *Particularem*, *Propriam* concluſionis, rationale enim reuera cauſa eſt Diſcurſiui, & ab eo realiter diſtinctum, & à nobis vt cauſa cognitum, & quidem adæquata.

LAVS DEO.

Theſes hæ Philoſophicæ cum eruditè inquirant, & conformiter doctrinæ Ariſtotelicæ decidant, An, & qualis de corpore naturali ſcientia detur; nec fidei, aut bonis moribus repugnent; luce, atque diſcuſſione publicâ dignæ videntur.

Ita cenſeo.

LEO MENZL *SS.Theol. D. & Prof. &c. nunc Theologicæ Facultatis Vicedecanus.*

Diſputatio hæc, quia & doctè diſtinguit, & eruditè docet, publicam lucem meretur.

PETRVS HILDEBRANDT *Societ.* IESV *SS. Linguæ & Matheſeos Profeſſor Ord. & pro tempore Philoſophicæ Facultatis Decanus.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE
Digitized by Google